

cum literis scribendis in multam usque noctem vacasset, ac surgens quieti se daturus esset, vilus est canis quidam ater inusitata magnitudine, flammantibus oculis, auribus ad terram prope demissis ingredi, & ad ipsum recta contendere, deinde sub mensam dilabi: unde percussus & obstupefactus Crescentius ubi demum se collegit, famulos inclamat, qui erant in anteriori cubiculo, jubet afferri lumen, & iuvestigari canem. Cum autem nusquam appareret, ne in vicino quidem conclavi, gravem concepit cogitationem & in morbum incidens Veronæ decessit. Moribundus etiam subinde suis acclamasse fertur, ut canem qui lectum conscenderet, arcerent. Vid. Sleidanus lib. XXVIII. Comment. de Statu Relig. & Reip. De Jacobo Latomo quoque memorant Fincelius, & ex eo Wolffius L. II. Rer. Memorab. Cent. XVI. p. 667. quod cum officio inquisitoris hæreticæ pravitatis, ut loquuntur, aliquandiu functus, denique in desperationem incidisset, seque in Spiritum S. peccasse, peccati vero condonationem sperare non posse, sed Diaboli & corpore & anima æternum mancipium, adeoque jam in regnum ejus incorporatum esse professus esset; hoc simul adjecerit: *Quin imo Latomum haut porro ut hominem intuemini, sed ut ipsum Diabolum, & si aperientur vobis oculi, manus pedesque meos tetris unguibus deformes & formidabiles esse deprehenderitis. Quæ & plura cum dixisset, inter horrendos mugitus mortuum fuisse, eamque oris ejus, totiusque corporis apparuisse fæditatem, ut omnibus esset terro-
rori.*

§. XVII. Imo vero etiam, quando non accedunt spectacula ejusmodi & casus externi horribiles, fieri tamen potest & solet, ut anima pœnas infernales prægustante, Corpus in participationem doloris pertrahatur: prout in prægustu beatitudinis, cum animæ bene est, corpus in societatem felicitatis aut voluptatis suo modo pertingit. Sic David Psalmo XXXVIII, 4. lamentatur: *Non est integrum in carne mea propter iram tuam: non est pax ossibus meis propter peccatum meum.* & v. 7. *Incurvatus sum, inclinatus vehementissime, omni die ambulo pullatus* & v. 8. *Quoniam ilia mea plena sunt ardore: & non est integritas in carne mea* & v. 9. *Debilitatus sum, & attritus vehementissime;*